

† R. P. Seraphinus Michelini (1860-1934) ¹

(Vice-Prov. Argent.)



Hic confrater, d. 15 Oct. 1934 Montesvidei vita defunctus, erat Italus origine, natus in loco Sirolo provinciae Anconitanae d. 23 Apr. 1860. Inde ab infantia Domini tabernacula ambiens, ordinatus est sacerdos annos natus vix 23 (24 Mart. 1883). Novellum sacerdotem Archiepiscopus Capuanus et postea S. R. E. Cardinalis Alfonsus Capececiatro e Congregatione S. Philippi Nerii, is qui praeter alia multa opera a. 1893 duobus voluminibus vitam S. Fundatoris nostri publici iuris fecit († Capuae a. 1912), inter familiares suos recepit.

Iam tunc Seraphinus Neapoli fama egregii contionatoris gaudebat. Attamen, cum ei animus Apostoli inesset, urbem, in qua sacerdotes abundabant, et patriam a. 1896 reliquit, longinquam Argentinam republicam petens, a sacerdotibus magis vacuum. Ibi benevole exceptus ab Antistite Sanctae Fidei Illmo Ioanne Boneo, in vices tres paroecias Lehmann et Sastre et Sunchales zelo apostolico gubernavit, omnibus omnia factus, asylo- rum vero et nosocomiorum incolis quandam praedilectionem ostendens. Etiam religiosas a S. Martha nuncupatas in Argentinam vocavit, quae hodie- dum in Sunchales collegium regunt, a parrocho Michelini conditum.

Inter medios hos labores *ascensiones in corde suo disposuit* (Ps. 83, 6). Etenim cum a. 1911 vidisset et audisset Redemptoristas in paroecia sua missionem praedicantes, ipse parrochus 51 annorum tanto huius apostolatus amore captus est, ut in simplicitate cordis sui laetus obtulerit universa ad margaritam pretiosam vocationis Redemptoristicae acquirendam. Religionis vota perpetua professus est d. 3 Febr. 1912.

¹ Cfr. «Arroyito» (folium nostrum paroeciale Rosarii Argentinae), 21 Oct. 1934.

Etiamtum vitae ac virium plenus, per amplius 22 annos exinde Iesum Christum pressius imitatus est, quatenus in regionibus Argentinae et Uruguay *circuibat civitates et castella, praedicans Evangelium regni* (Mt. 9, 35). Longe plurimos vitae religiosae annos communitati magnae urbis Rosario adscriptus erat, ubi « fervet opus », ut cum Vergilio loquamur. Ultima peregrinationis terrestris statio domus Montisvideana fuit.

Etiam seni manebat cor iuvenile. Sermo eius erat simplex, sed ignitus, simul magnam spirans benevolentiam. Aestate anni 1934 evangelizabat rurali districtui paroeciae S. Caroli in republica Uruguay, cum apostolum indefessum, iam diu minus commoda valetudine utentem, vires plane deficere coeperunt. Rediit igitur domum, ad bonam mortem se paraturus, et festo S. Teresiae, receptis pientissime ultimis sacramentis ac boni infantis more sortem suam manibus optimi Patris caelestis committens, post brevissimam agoniam placide in osculo Domini obdormivit, annos natus 74.

R. I. P.